

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO GRADUALIS

De

VITÆ

EREMITICÆ

MORALITAT E,

Quam,

Suffragante Ampliss. Senatu Philosoph,

in illustri ad Auram Acad. Regiâ,

Sub PRÆSIDIO,

VIRI CL.

MAG. ALGOTHI A.
SCARIN,*Histor. & Philos. civ. PROF. Reg. & Ord.*

ad diem VII Maji Anni MDCCXXIX,

loco horisque ante meri-
diem solitis.*Publice examinandam sistit*

ERICUS AFZELIUS.

W. Gothus.

ABOÆ, impr. cum Reg. Acad. litt.

S:æ R:æ M:tis
Magnæ Fidei VIRO,
GENERALI MAJORI

Et
Provinciarum Aboënsis atq; Biör-
neburgensis, nec non Præfectu-
ræ Alandix
PRÆSIDI & GUBERNATORI


Eminentissimo,
PERILLUSTRI ac GENEROSISSIMO
BARONI ac DOMINO,

DN. OTTONI
REINHOLDO
UIXKULL,

MÆCENATI & PATRONO

ERILLIUS MAXIMO.

PERILLUSTRI ac GENEROSISSIME
DOMINE,

 Uanto gravius peccant illi,
qui utilitatibus aliorum
provehendis se subducunt, turpe oti-
um in deliciis habent, atq; dotes na-
turæ & fortunæ munere concessas,
negligunt & contemnunt; tanto ma-
joris eorum habenda est virtus, qui
ut aliis debito modo prospiciant, eo-
rum.

rumq; commoda re & prompta voluntate sua promoveant, omni enituntur opere. Hujus virtutis multa quidem in Te, *GENEROSSISS. DOMINE*, extant documenta; sed quum ea meo multo majora sint præconio, ne soli lucem affundere & aquam mari immittere velle videar, illam modo benignitatem Tuam, quæ meis fortunis egregie velificata est, testem appello. Neq; enim biennio illo solum, quo spei & rudimentis Juventæ generosæ *SOBOLIS* tuæ aderam, sed postmodum etiam in præsens usq;, tanta & tam multa in me cumulasti beneficia, ut plerumq; intra me ipsum volvam. Non igitur vanâ audaciâ factum censeas, *MÆCENAS SUMME*, quod immaturus hic ingenii mei fœtus ad Te aditum tentet. *Exempla* inusitatæ benevolentia Tuæ plurima & quotidiana neque dubitare sinunt, quin

quin fronte serenâ levissimum munitusculum, in tesseram & pignus gratissimi animi, hoc quoq; accipias. Meum erit hanc & omnem a Te mihi præstitam gratiam summa animi veneratione agnoscere ac pro TUA Illustrissimæq; Familæ TUÆ perenni prosperitate, vota ad DEUM, omnis beneficii largissimum remuneratorem, fundere calidissima.

PERILLUSRIS ac *GENEROSSISSIMI NOMINIS TUI*

Cultor devotissimus
ERICUS AFZELIUS.

VIRO

Summe Reverendo atq; Celeberrimo,
DOMINO,

MAG. JONÆ FAHLENIO,
S. S. Theologiæ PROFESSORI & Confi-
storii Ecclesiastici ADSESSORI Prima-
rio, Diœceseos Aboëns. ARCHI-
PRÆPOSITO & templi Cathedr.
ecclesiæ Svecanæ ANTISTITI
meritissimo,
PATRONO ÆSTUMATISSIMO.

VI-

Admodum Reverendo
Domi-

Mag. OLAO
PASTORI Ecclesiæ Tunhemensis
PATRONO & FAUTORI

Vobis, Patroni optimi, ob singularem
quam unquam remunerari queam.
gis commodam declaranda in Vos observantia
nisi animo offerentia commendabiles, Vobis sa-
met effervescentis studii & pietatis benigne ex-
DEUM O. M. ardentia fundere nullus inter-

SUMME REVER. AMPLISS. atq;

Cultor ob-
ERICUS

VIRO

Amplissimo atq; Celeberrimo,
DOMINO,

MAG. ALGOTHO SCARIN,
Historiarum & Philosph. Civilis
PROFESSORI Regio & Ordin. Confi-
stor. Academ. ADSESSORI gra-
vissimo,

PATRONO & PROMOTORI
OPTIMO, EXOPTATISSIMO.

RO

atq; Praclarissimo,
no

CARLANDER,
Westro-Gothiæ, optime merito,
ÆTATEM COLENDO.

*Vestrum in me favorem, plura certe debeo,
Quia vero, presente hac occasione, vix aliam ma-
mee habiturus sum, rudes hæc pagellas, non
cras esse volui. Quas si in referam mei in Vos-
seperitis, pro Vestra incolumitate suspiria ad-
mittam.*

PRÆCL. NOMINUM VESTROR,

servantiss.

ÆTZELIUS.

Conspectus.

- §: 1. **P**rooemium sistit.
- §: 2. *Ex laudibus, quibus maclantur Eremita, dubium movet.*
- §: 3. *Propositum dubium solvit, & quos sub hac censura comprehensos velimus, indicat.*
- §: 4. *Hominem naturâ esse sociale ostendit.*
- §: 5. *In societate aliis inserviendum esse, quâ illud fieri possit ratione, docet.*
- §: 6. *Ex predictis argumentis vitam Eremiticam illicitam esse probat.*
- §: 7. & 8. *Quae vitae illius honestati praetendi solent afferuntur & diluuntur.*
- §: 9. *Finem dissertationi uncule imponit.*

cum



I. N. D.

§. I



Cum ante
triennium Upsalensibus literam Camenis, suasu ac indultu eorum, quibus vitae obsequium debeo, historiolam de Eremitarum origine, progressu & superstitiosa vivendi ratione conficiebam. Quia vero plurimae tum suadebant rationes, ne opera & contentione una eademque iudicium, de moribus & vitae genere illorum, politicum subtexerem, in aliud tempus, quo mitior adfulgeret
A spes

2
spes & aura rerum mearum, illud quaecumq; institutum differendum statui. Idem igitur, cum neque Sacri muneris assidue curæ, quæ in patriæ oris, a natali solo remotioribus mihi deinceps, summi Numinis auspicio, obtigere, nedum loci genius, quem in his oris domestico non illiberaliorem expertus sum, mutare aut intervertere potuere, *Moralitatem vitæ Eremiticæ*, lineis primis designatam modo, Tibi, Lector B., conspiciendam examinandamq; exhibeo. Quisquis ipse juvenis diversis eodem tempore curis animum sollicitum distractumque habuisti, vacillantes sub gemina mole gressus meos non excusabis solum, sed & laterum imbecil-

3
cillitatem, ne ignominiose concidam, humanitate, quæ nos mutuo devinctos continet, sustinebis.

§. II.

igitur per transennam modo inspecturis *vitam Eremiticam*, eamq; pro imperata brevitate examinaturis, in limine statim occurrit dubium: *an eadem absolute spectata laude magis, quam vituperio sit digna*. Etenim, si ad eam scriptores ecclesiasticos, imprimis antiquiores, multa apud eos passim inveniuntur documenta virtutum, quibus vitæ hujus sectatores inclaruerunt. Dicunt illi, adeo hanc vitam celebrem fuisse castitate, sobrietate, humilitate, mansuetudine, mundi contemptu, aliisque veræ pietatis fru-

4
fructibus & simulachris, ut nihil hoc hominum genere religiosius, nihil illis, Christianarum cultu virtutum, fuerit antiquius. Certe Patres primitivæ ecclesiæ tantum non omnes hanc vivendi rationem non modo summis extollunt encomiis, verum ipsi quoq; in solitudines aliquando secesserunt, ut exemplo nobis sunt: *Greg. Nazianzenus, Athanasius, Hieronymus* aliq; Patrum mox vestigia premunt hodierni Catholici, ut *Cænobiticæ*, ita *Eremiticæ* quoq; vitæ amantissimi & propugnatores acerrimi, tantisq; hunc vitæ ordinē universi, præcipue Pontifices eorum, laudib; prosequuntur, ut omnes, quotquot bona & commoda hujus sæculi, *religionis*, puta *Pon-*

5
tificis ejusq; *cleri* causa repudiaverint, pro suo in cœlestibus pariter atq; terrestribus prætenso superioritatis jure, sanctorum nomine præ aliis dignos, diu decreverint.

§. III.

VERUM enimvero, salva pietate, salva quoq; Patrum auctoritate, si dicendum, quod res est, tanto minus hoc vivendi generis statumq; habemus, quanto evidentius constat, illud neq; culpa penitus vacare. Quum tamen hoc simpliciter & absq; ulla limitatione nequeamus statuere, ut inoffenso procedamus pede, distincte agendum, & finis, quem vitæ huic solitariae veteres prætexerunt *Eremitæ*, re,
spi

6
spiciendus est omnino. Equi-
dem non diffiteor, (quemad-
modum in sequentibus idem
pluribus evictum ibo) commu-
ni salutis promovendæ se non fa-
cile civium quemquam subdu-
cere posse, sua si vitæ humanæ
& civili constabit incolumitas;
inde tamen non sequitur omnè
privatam, & a publicis populi
coetibus sejunctam vitæ ratio-
nem penitus damnandam esse.
Neq; enim multi solum, ipsa ex-
perientia teste, qui ob natura-
lem virium (animi aut corporis)
imbecillitatem, in senectute
præsertim, inepti plerumq; &
inhabiles sunt ad publicum ali-
quod opus, & qui justas proinde
causas habent vitæ privatæ &
in umbra transigendæ; sed dan-
tur

7
tur alii quoq; , qui vitæ actuosæ
conciliis & commerciis non li-
cite & honeste minus abesse pos-
sunt. Illos puta, qui præter spem
& vota sua, modo invidiose a
publicis excluduntur negotiis,
modo, luxuriante republica fe-
licibus ingeniis, supervacuo ad
illam juvandam opere accedunt.
Illis licet generalis incumbat ob-
ligatio patriæ salutis subvenien-
dæ, deficiente occasione agen-
dæ, tamen, non illos magis illius
vis officii ferit, quam obligat
lex ineundi matrimonii genera-
lis, tanta existente intra civita-
tem frequentia hominum; quan-
ta afflictionem majorem, quam
pulchritudinem & incolumita-
tem reipublicæ affert & accele-
rat. Idem quoq; de vita *Eremiti-*
ti-

8
tica, quæ indole & natura sua
non multum à privata abhorret,
dicendum est. Etenim ex histo-
ria ecclesiastica primorum Chri-
stianorum liquido patet, qualis
ecclesiæ status, seculis præsertim
tertio & quarto, fuerit, cum
sua hic vitæ modus primordia
caperet, neq; tantum sub im-
peratoribus ethnicis sævissimas
Christiani paterentur persecu-
tiones, sed etiam, pace a *Con-*
stantino foris reddita, detestan-
da tyrannis intra ecclesiam hæ-
resesq; pullulare grassariq; inci-
perent. Tanti & tam atrocis
mali metu quicumq; ad consu-
lendum salutis suæ eo se contule-
runt locorum, ubi tuti & peri-
culi quodammodo expertes a-
gere possent; & demum, sedatis

9
tis tempestatibus, ad suos suaq;
redierunt, tantum abest ut in
nostram censuram incurrant,
imprimis si suorum laterum op-
posito ruinam publicæ rei se a-
vertere nullo modo posse viderent;
ut eorum otium & a tur-
bulentis consiliis abhorrens pie-
tas laudem & commendationē
majorem meruisse videatur.
Quid? quod neq; illos reprehenden-
dodos censemus, qui bono
animi proposito, studiis for-
te inserviendi gratia, in tenebris
eremi quoad tempus latere, quā
in celebritate maluerunt versari,
& qui illum, sine dubio, vitæ so-
litariae suæ præfixum habuere
scopum, ut illinc egressi postmo-
dum fructus sapientiæ & pru-
dentia mirificos, tum ipsis sibi,
tum

10
tum aliis quoq; domum & in
medium referrent. Talem au-
rem existimam⁹ fuisse vitam Pa-
trum & Scholasticorum in mo-
nasteriis recens institutis, quos
tantum abest ut culpemus, ut
multo magis laudemus, quam-
diu modestiæ & timori Domini
vitæq; religiosæ exercitiis vaca-
rent, neq; constitutiones futiles
atq; pietati noxiæ majorum con-
siliium deturparent. De illis ita-
que non loquimur. Sed cum his
nobis res est, qui penitus nulla
aut saltem non sufficiente caus-
sa, posthabita societate & dome-
stica & civili, *eremum* sunt in-
gressi, ibiq; totam ultro egerunt
ætatem, ut sub specie fictæ pie-
tatis & sanctitatis servandæ, o-
tio & privata quiete fruerentur.
Hi,

11
Hi, inquam, in nostrum præci-
pue censum venient, eosq; gra-
vissime hoc suo instituto peccas-
se, ex dicendis amplius patebit.

§. IV.

AD colendam cum aliis socia-
lem vitam tanto magis homini
est necessum, quanto certius
constat, in summa, extra ean-
dem, miseria constitutum iri.
Ut enim nudus nascitur & iner-
mis, atque in hunc mundum,
tanquam ex naufragio, omnib⁹
vitæ retinendæ adminiculis pro-
pe amissis, ejicitur; ita postmo-
dum sibi relictus, aliorumq; ope
& consortio destitutus, si quæ in
illa solitudine vitæ ætatisq; in-
crementa caperet, animal non
clingve, nudum, iners ac stoli-
dum

12
dum modo foret, sed, quod nul-
latenus ambigendum, ab ipsa ori-
gine penitus intereundi princio-
pium suspensum haberet. De tan-
ta vero miseria ut homo, omnium
præstantissimum animal, vindica-
retur, placuit sapientiss: Numi-
ni cum inplantare animo illius
adfectum, ut rationali quodam
per naturam appetitu feratur so-
cietatis cum aliis sui similibus in-
eundæ & colendæ; ne quid de
Lege *socialitatis* dicam, quam
naturæ illius Numen impressit,
tantæq; necessitatis esse homo
ipse agnoscit, ut sibi quam in
confortio & benevolentia alio-
rum hominum, ratione non a-
lia melius prospectum putet.
Nam, ut loquitur Romanæ e-
loquentiæ parens, *natura solita-*
rius

13
rium nihil amat, semperq; ad ali-
quid tanquam adminiculum an-
nititur. a) Et, teste Celeb: Bud-
deo, *natura ad colendam cum a-*
liis socialem vitam, compellit o-
mnes exstimulatque. Nec temere
quisquam reperitur, quin magna
felicitatis parte, modo cum aliis
esse, doloremq; non minus, quam
letitiam cum iis communicare si-
bi liceat, carere, quam cum infini-
ta etiam voluptatum abundantia,
in solitudine vitam agere malit. b)
Quandoquidem vero ea naturæ
vis est, ut optimum quemcun-
que desideret statum, & quo
quid est perfectius, eo magis pro
fine idem quisq; habeat, non
solum minores illas societates
na-

(a) Cic. de amicit. cap. 23.

(b) de cult. Ingen. lib. I. §. I.

naturali rationis instinctu, sed etiam communitatem illam perfectam, quam civitatem alias appellamus, hominem appetere non male dixere Philosophorum nonnulli; videlicet intuitu commodorum, quæ illum vitæ modum, incommodorumq; , quæ diversum statum longe maxima sequuntur. Cui sententiæ facem, uti vulgo notum, prætulit Aristoteles, hominem vocando ζῷον φύσει πολιτικὸν καὶ κοινωνικόν; c) Cicerone certe non dissentiente, d) qui, adductis in mediū utilitatibus & commoditatibus longe maximis, quas mutæ conjunctioni, seu socialitati, homines debent, insuper ex congregabili ani-

(c lib. 8. cap. 14. ad Nicom.

(d. lib. 1. off. cap. 44.

animantium irrationalium, apium scilicet, indole, ad naturam hominis socialem & congregabilem, rei & instituto suo convenienter, argumentatus est.

§. V.

Quemadmodum verò non apes solum natura congregantur, sed & congregatæ favos fingunt mutuo opere, ut loquar ex sententia Ciceronis; e) sic homines etiam ideo imbuti sunt amore societatis, ut sua non modo quærant commoda, verum ut, post cultum summi Numinis, aliis quoq; inserviant, & ad promovenda societatis commoda, cogitandi agendiq; adhibeant solertiam. Si enim ipsam homi-

(e l. c.

16
minis consideremus naturam ;
confiteamur necesse est, ratio-
cinandi sermocinandiq; dotes
(illa societatis humanæ vincula,
teste Cicerone) quibus præ bru-
tis pollet, eximias, non frustra
ipsi concessas, sed in eum omni-
no finem datas esse, ut in glori-
am DEI & aliorum usus excol-
lat atque convertat. Illa quæ
nulli plane usui essent peculiaria
naturæ munera, (ne quid de or-
ganis dicam; quibus in commu-
nicandis cum aliis animi nostri
cogitatis ceterisq; utilitatibus uti
solemus) si extra consortium
aliorum hominum vivendum,
& pro obtinendo fine summe
necessario, puta incolumitatis
humanæ, non in vicem instru-
mentorum inservirent. Unde
Pla-

17
Plato & ex illo Cicero quoque
dixerunt, non nobis solum na-
tos esse nosmet, sed ortus nostri
partem patriam vindicare, par-
tem parentes, partem amicos ;
omnesque mutatione officio-
rum, dando, accipiendo, tum
tribus, tum opera, tum facul-
tibus devincire debere homi-
num inter se societatem. Idem
postulat officium æquitatis &
grati animi quoque; nam, ut
quisq; aliorum opera, si com-
mode feliciterq; vitam transi-
get, opus habet; ita neq; ipse
minus, ut aliis sua juvandi prom-
ptitudine inserviat, ex æquo &
iusto obligatur. Quid? quod
si mortalium nemini non
illa à summo Numine impo-
sita obligatio, ut naturam du-
cem

cem sequatur, constitutamque
 ab æterno legem *socialitatis* e-
 jusq; veritatem non contrario
 quocunq; instituto convellat,
 remanet, instar lapidum operis
 fornicati, vires & mutuam con-
 tentionem quemq; in medium
 conferre debere, ne incolumita-
 tis publicæ robora fatiscant, dis-
 sipatisq; hæc illæc membris, con-
 textus publicæ salutis dehiscat
 & penitus demum intercidat.
 Illud vero ut magis feliciter e-
 veniat, oportet viribus & poten-
 tiis corporis, præcipue vero a-
 nimo & voluntate promptâ rei
 communi subveniamus, puta
 addiscendo & exercendo artes
 quascunq; liberales sive manua-
 rias, ut, Paulino quoq; conve-
 nienter monito, nemini molesti

mus, verum superat, unde a-
 orum necessitatibus etiam sub-
 venire possimus. Eph. 4. 28. Di-
 u, non addiscendas modo, sed
 imprimis exercendas esse artes
 liberales. Non sufficit acquisi-
 sse sibi artium utilissimarum
 peritiam & deinde ignavo otio
 indormire & obrorpescere. Per-
 tinet ad officium quoq; in ju-
 stum finem, commodi publici
 procurationem, scientiam &
 prudentiam, quam sibi quisque
 paravit, convertere, *Catonis*, a-
 pud *Ciceronem*, laboriosissimi se-
 nis exemplo, cujus, licet annos
 octoginta natus esset, non cu-
 ria, non rostra, non clientes,
 non amici studium & laboris
 præsentiam desideraverint.

His ita præmissis, ad *vitam E-*
remiticam illam *religiosam* pro-
 pius jam accedimus, quid de ea
 sit habendum paucis dicturi,
 quamvis ad convincendum in-
 justitiæ, inutilem illum & gra-
 vem civitati vitæ modum, cen-
 foriâ vix opus esse videatur a-
 nimadversione. Ex dictis enim
 unicuiq; constare arbitramur,
 sectatores ejus, qui in solitudi-
 nes se detrudunt, & more fe-
 rarum, in latebris delitescunt,
 culpa & reprehensione non va-
 care, cum instituto illo suo non
 solum naturali, puta Divino, ad
 socialitatem colendam instin-
 ctui repugnent, quem tamen se-
 qui eos oportebat, verum etiam
 com-

omuni se subducant utilitati
 propagandæ, atq; ita officia ho-
 minis & civis gravissime violent.
 Quis enim tanta laborat cœci-
 tate, ut non videat homines e-
 iusmodi inutilia esse terræ pon-
 tura, vitamq; eorum Deo esse
 ingratham, dum eas subterfugi-
 unt partes, ad quas naturâ se
 quasi factos donisq; instructos
 converterunt? Nam, *positum est*,
 inquit Celeb. Buddeus, extra
 controversiam, si homines iis in-
 structi sint viribus, ut patria &
 publica utilem operam navare
 possent, & tamen ob tadia &
 incommoda, quæ cum vita pu-
 blica conjuncta sunt, eidem se sub-
 trahant, gravissime eos peccare,
 sub quocumq; etiam hoc fiat præ-
 te-

textu. f) Non immerito itaque
 fuci hi ignavi, qui ad effugien-
 dam quamcunq; in civitate la-
 boriosam stationem captant so-
 litudines ac secreta, *ἀμειβία ζῶ-
 νη ἀπέλας* quibusdam dicuntur,
 cum ad nullum vulgo dictorum
 statuum hierarchicorum referri
 possint. Deniq; quemadmodum
 contra impositionem naturæ &
 dictamen rectæ rationis pec-
 cant; ita neque ullum, quo se
 suumq; institutum tueri possint,
 in pandectis sacris habent pa-
 trocinium, quippe quæ societa-
 tes, labores atqve opera mutuo
 commodo interservientia nobis
 commendant atq; injungunt; *E-*
remitica autem *vita* nusquam
 faciunt mentionem, quin potius so-

(f Theol. Mor. part. 2. c. 3. p. 499.

litarium vitam, absolute ra-
 em, improbant atque proscri-
 bunt. Atq; inde libri ecclesiæ
 nostræ Symbolici quoq; ita de
 Monachis cujuscunq; ordinis
 statuunt: *Plane vitam suavem
 & tranquillam, omnique cruce
 vacantem & patientia illi vene-
 tres & porci agunt. Quam ob
 causam se quoque in monasteria
 abdidit, ut a nemine quid-
 quam paterentur molestia, neque
 quemquam ulla in re bona juva-
 rent. g)*

§. VII.

SEd regerat quis? adeo non o-
 dio societatis aut ignavi orii se-
 ctandi instituto, in solitudinem
 concessisse *Eremitas*, quam po-
 tius

(g Catech. Maj. Luth. p. m. 453.

24
tius, ut Dei colendi, pietatis ex-
ercendæ, innoxiaq; propagan-
dæ incolumitatis suæ liberior
potestas ipsis fieret, quod in so-
cietatibus & cœtibus hominum,
præsertim majoribus, malorum
hominum commerciis, identi-
dem turbari consilium, perverti
& crebris obtreccionibus di-
stringi solere, vulgo notum est.
At facilis est responsio: quamvis
enim inficias non eamus, mul-
tos quidem in societatibus acci-
dentales esse abusus, qui aliquan-
do verum Dei cultum atq; pie-
tatem morari possunt, inde ta-
men non sequitur, de terra &
solitaria loca rectam esse scalam
ad serviendum Deo, & consue-
tudinem civilem, unci instar ef-
se, quæ à piis meditationibus in
viam

25
viam damnationis nos abripiat.
Tantum quoq; abest, ut pro lu-
bitu colentis Deus se coli velit,
ut ejusmodi cultum pro *θελοθε-
ταίω* vendider, eumq; ceu igno-
miniosum Numini suo, quam
maxime aversetur. Neq; facile
præsumi potest, illum cultum i-
psi esse gratum, qui fit cum ne-
glectu reliquorum officiorum.
Sicut igitur non solum iussit se
esse colendum, sed præcepit a-
liis quam maxime inserviendum
esse, infirmos invisendos, fra-
tres corrigendos, nostrâ vitæ
copiâ aliorum inopiam susten-
tandam, subsumere licet, hoc o-
mnino, non minus, quam *illud*,
præceptum sancte & religiose vo-
luisse servatum. Quandoqui-
dem igitur nullam hi lucifugæ

speciale Divinum habent mandatum ad eiusmodi solitarium vitæ genus instituendum sectandumq; , quin in generale DEI præceptum de mutuis commodis promovendis plurimi eorum directe potius impingunt, falsa & commentitiâ opinione religionis & pietatis nullo modo excusari possunt.

Quod propriæ incolumitatis provehendæ studium attinet, cui se ex naturæ præscripto, inservire ajunt, cum detrectantes publicorum negotiorum operosam molem, invidiæ & motuum civilium summis discriminibus se subducunt; tenendum prorsus, illam omnem rem, cui nulla honestas subest, adeoq; vera utilitas, incolumitati vitæ quoq; nocumento esse

esse quâ maximo. Hominis enim, sive corporis, sive animi, sanitatem adspicere voluerim, vitæ solitudinem utroq; modo noxiâ esse liquido apparebit, non *Eremitarum modo*, sed & omnium eorum exemplo, qui vitam illam diu professi fuerint. Conspectiuntur macilenti, squalidi, pusillanimes, morbidi, morosi, deformes, usq; adeo ore & moribus, ut ad ipsis sibi, ne dicam aliis, inserviendum prorsus inhabiles evadant. Quod si eorum, qui privatâ semper vixere fortunâ, pauci admodum imperare sciant; si non faber aliquis de thoracis ferrei firmitate cavere potest, nisi justum sclopi ictum prius sustinuerit; ita utilem scientiam ægre sibi alius quisquam pole

pollicebitur, qui nullis in palæstra exercitationibus vim ingenii sui exploraverit, suamq; ad alius inserviendum industriam experiundo perfecit. Adeo ut ingeniose non minus quam vere quod ad hanc rem dixisse videatur, quicumq; dixit: Qui existimant se malorum (vitæ & fortunæ) levamenti quidquam consequuturos ex vita solitaria, persuasum habeant, potius se ex vita illa copiam attrahere malorum humorum, qui quasi repugnantes lætitiæ & consuetudinis instinctui, bellum, cum afflictione vitæ, intestinum & summe perniciosum excitare solent.

§. VIII.

Dicat porro aliquis: bene tamen

men vixit, qui bene latuit, & quid dulcius est otio literario, cui sine dubio totos se olim *Ermitæ* dederunt, speculando res Divinas pariter & humanas. Verum, quod ad antiquum illud effatum attinet, bene quidem habet, si non ulterius extendatur, quam extendi debet. Opponitur quippe vitæ splendori, ambitioni & invidiosæ alios eminendi cupiditati, sed non otium commendat solitarium, & cum fastidio reipublicæ conjunctum, quamvis literarium. Quod si aliter intelligendum esset proverbium, certe illius omnem quoq; tutò damnaremus sententiam. Si in otio omnis vitæ ratio consisteret, nemo pro DEI honore & salute patriæ quidquam

36
quam tentaret, sed labores, quos
ecclesia & curia sibi deposcunt,
quisq; detrectaret, & ad leno-
cinandum suæ voluptati cum da-
mno aliorum quisq; foret inten-
tus. Quisquis igitur ita otietur,
peccat in *Deum*, cuius concessa
dona negligit & abscondit, pec-
cat in *alios*, quorum modo o-
pes inutiliter depascit, modo o-
pera & labore mutuum indigen-
tiam sublevare rehuit, peccat
deniq; in *semetipsum*, cum iram
Dei & aliorum contentum hoc
suo proposito in se contrahit.

Quod vero ad illud attinet,
quod adeo hi nostri se dederint
speculationibus rerum Divina-
rum humanarumq;, ut omnem
illis tribuerint ætatem, breviter
respondeo, etiam eo ipso contra

offi-

37
officium egisse; nisi sine & insti-
tuto eodem quo Cartes. *eremum*
ingressi fuerint. *) Ex mera enim
& supervacanea intellectus spe-
culatione, prout in aliorum usus
plerumq; nihil commodi profi-
ciscitur, nulla in communitatem
vitæ humanæ & civilis studii &
contentionis utilitas conferri so-
let, vanam quoq; omnem, quæ
inde captari solet, gloriolam ju-
re existimaverim. Omnis e-
nim virtutis laus in actione con-
sistit, ita ut *philosophia*, quæcun-
que illa fuerit *muta* & non il-
lum, quem modo innuimus, fi-
nem operis sui respiciens, augu-

sti
*) Memorabile est quod habetur de
Cartesio in monumento ejus Stock-
holmia erecto, ubi dicitur ex E-
remo *Philosophica in lucem* &
ornamentum aulae vocatus.

si nominis honorem agerrime tueatur. Quod quia perspicuum habuit Philosophus gentilis, instituta comparatione inter meram speculativam scientiam & vitæ communitatem seu conjunctionem studiorum officiorumq; , hanc alteri antefendam esse non sine ratione pronuntiavit, cum ita concludit: *Quibus rebus intelligitur, studiis officiisque, scientia preponenda esse officia justitia, qua pertinent ad hominum utilitatem, qua nihil homini debet esse antiquius. h)*

§. IX.

Multa quidem alia, quæ ad examen vitæ Eremiticæ pertineant, essent porro dicenda, ut-

(b Cic. lib. I. off. 43.

pote de falsa perfectionis ac meriti persuasione, quam in hoc vitæ genere collocarunt *Eremitæ*, nec non de superstitiosis jejunis & nimis corporum afflictionibus, (quam ex hypochrismo Paulino frustra defendere volunt vanitatem i) itemq; multis hujus generis aliis. Verum, quum illa alieni fori iudices sibi deposcere videatur disquisitio, nostrum non est iisdem in præsentia immorari. Quam ob causam, cum instituti nostri ratio & imperata temporis brevitates pedem heic figere cogant, finem hisce brevissimis imponimus verbis Divi Apostoli: *κατανοώμεν ἀλλήλους εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης καὶ καλῶν ἔργων. Μὴ ἐγκαταλεί-*

(c 1 Cor. 9: 27. λέει.

λειπόντες τὴν ἐπισύναγωγὴν ἑαυτῶν,
καθὼς εἶπεν, ἀλλὰ παρακαλῶ
λέγτες καὶ τοσούτω μᾶλλον, ὅσα
βλέπετε ἐγγιζοσάν τὴν
ἡμέραν. k)

k) Ebr. 10: 24, 25.

S. D. G.



PHILOSOPHIE CANDIDATEN

Ahrensberdige och Högwallärde
Herr. ERIC AFZELIUS,

Då Han

wid Kongl. Academien i Abo/

andra gången

om Eremiters ensidiga lefnad
disputerade

Ofwerhetens hägn få niuta tal
och trygga,
Och jemt med andras swett på
egit nötte bygga,
Swem skull' ej willa see för största
sälhet an,
Som uppå jorden här en Menn's
stia träffa kan?

I wällustz bröder, I, som Klösterlefs-
nad fören,
Och under heligt sten Er stolta go - dar
giören,

I som om morgondan' ett mera bry
er om,
An fordom Israael, då bröd från
himlen kom.
Hwad sällhet större är än lefwa ohne
sorgen,
Och doch i alla lag så sittia högst i sor-
gen?
Om himlen I så wist, som Goro-
dens sötna, ärst,
Wist ha för andra I den bästa de-
len wärst.
Nei, nei, jag wilse far, mig annat
sinne blifwer,
När jag igenomås hwad Herr AF-
ZELIUS skrifwer,
Om Munkars helighet. Kan Ere-
miten ett
Göctienas ros: jag tror, de andra min-
dre, seth?
Kan man för Lofligt ett, än mindre Hes-
ligt tälja
I fattigt öde sig en wilddiurs boning
wälja;
Hwad

Hwad tro för himmel då det blifwa
wil för them,
Som buken ha för Gud i prächtig
hus och hem?
Er är jag skyldig tack, Min Wän,
som slika tankar
Ha alldeles bracht mig från, för än
I jag hifad' ankar
Til Munkenssten, der jag wist ersa-
ra fädt,
Hur' mycket stadligt är, som syns ut-
wärtas godt.
Haf tack ännu en gång. Er möds
Herren löne,
Ja dygden sielfwer Er med hederslöna
betröne,
För slikt et arbete, jag önskar tusens
falt
Hwad som Er sägna må och öka
nöfjet alt.

Enfaldigt doch wälment,
På swednsKA :

VIRO
Pergruam Reuerendo, Philosophia
CANDIDATO Clarissimo,
Dn. ERICO AFZELIO,
Fautori & Amico estimatissimo.

Aγαπάτω μὲν ἔδοξε θεῶν, κοινωνικὸν
εἶναι

Τὸν βίον ἀνθρώπων, ἐθέλοι ἐπιυχεῖν.
Τῆνικα δὴλον, ἅπαν δὴ κλισίῃσιν βροτῶσι
δεδοσθαι

Ἐς χερῶν δὲ γ' ἔν σὺν θεῶ ἀνδραῖς
εἶναι.

Αἰ δὲ πάλαι ἀγίας ἐθελοθρησκείαι
ἐρήμας

Μῆτις Φάσκον, ὅπῃ Δάιμονι χρῆ
ἀρέσται.

Ταῦτα δὲ καλλίστη μάλα σέο ἐς ἡλίε
αὐγὰς

Μῦσαι δίδωσι ταῦν, ὦ φίλε τῷ
λεκλυέ.

Σὺ παιδεία, κόπῃ τ', ἀρετῇ, τρόποι
εὐσεβείας τε

Ἰενομα τῆς κείρας γὰρ ἴν τοι ἤ-
ξισον.

ὕκ.

Κύδῃ πρὸς τὴ τιθεῖ πευλῆς διαλεξίος
ἠδε

Ἀρμόζει δάφνης κάλλεα σὺν τὴ πόμαις.
ἔυχομαι ἐκ χερῶν, κοινωνικῆ, ὄλο
βιῃ ἀξίως

Χρησάτ τὴ θνητοῖς Ἀθανάτῳ π βίον.
Καί ποτε, μήτ' ἀρ' ὄλο, ὄνοφερῶσι ὑπὸ
κλύδμασι γάτης
ἔσση, ὁμίλῳ δὲ ζήσεται ἄραίνῳ.

Σύγχαρμα τὸδε φιλοφροσύνης
ἔνεκα ἀσμένως προσέδηκε

LAUR. O. HALLBORG;
V. Goibw.

